

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: [digibib.ub@uni-rostock.de](mailto:digibib.ub@uni-rostock.de)

---

Universität Bützow

Med. Fak. 1787

Graumann/Voss

Bützow 042







# MELETEMATA, AD CURATIO- NEM FEBRIUM INTERMIT- TENTIUM SPECTANTIA

---

LOCO SPECIMINIS INAUGURALIS

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
BUETZOVIENSIS


SUB MODERAMINE

PETRI BENEDICTI CHRIST. GRAUMANN

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, HUIUSQUE  
PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII,  
AC PHYSICI PROVINCIALIS

PRO GRADU DOCTORIS  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT


JOHANNES CAROLUS DIETERICUS VOSS.  
RENSBURGENSIS.



BUETZOVII d<sup>o</sup> c<sup>o</sup> CCLXXXVII.

TYPIS FRITZII.

1787





**F**orsitan non pauci nos cramben recoxisse arbitrentur, si animadvertant, nos in hoc scripto inaugurali de frequenti & notissimo illo morbo, quem febrem dicunt intermittentem, agere. Non solum in omnibus libris, in quibus methodus medendi morbis in universum tractatur, nonnullae paginae quoque huic corporis humani morbosae affectioni dicatae sunt, sed etiam innumeris tractatus prostant, in quibus separatim de illa agitur, & persaepe iam iste morbus argumentum dissertationibus e cathedra publica ventilari praeluit. Sic nec novum quid, nec quod lectores allicere queat, molimur, si centenis illis super hac materia scriptis, aliud addimus, numerumque eorum iam satis magnum adhuc augemus.

Quum vero nobis occasio data fuerit, frequenter observandi has febres intermittentes, nosque ea strenue usi simus ad naturam earum perquirendam & investigandam, & ad virtutem remediorum illis opositorum examinandam & aestimandam, non penitus ineptos esse speramus, observatis doctorum in nostra arte Virorum aliquid addendi, nec inutilem laborem fuscipere persuasum habemus, si nonnihil conferre tentamus, ut curatio huius morbi certioribus innitarur principiis. Nihil aliud molimur, nisi ut nostris conatibns melius innotescat, quae medicamina potentissima & maxime praesentia sint antifebrilia, & sub quibus indicationibus, sub quo statu aegroti & morbi, hoc vel illud remedium magis conveniat, iterumque sub quibus indiciis, & cum qua febris atque sanitatis & naturae aegrorum conditione, haec, sive illa medicina inutilis sit, atque periculosa.

Quam igitur sanatio & curatio morborum nobis in primis curae cordique sit, vel leviter saltem attingamus, vel omnino silentio ea omnia praeteremus, quae ad historiam febrium intermittentium pathologicam spectant, nam labore supersedere possumus, decursum harum febrium tum particularem tum universalem describendi, typorum diversitatem delineandi, causasque eruendi, quippe quae omnia notissima sunt, ideoque nullam peculiarem, novamque descriptionem merentur. Flores hic colligimus ex therapia febrium intermittentium, & ex animo optamus, ut ab illis praecipue attentione dignemur, qui eruditionis solidioris, & medicae doctrinae ignari, illotis quasi manibus curationem febrium istarum, morbi nimirum, ex sua falsa & concepta opinione, admodum facilis & benigni, aggrediuntur, & ignorantia sua multos periculo mortis committunt. Adhuc enim semper innumera remedia, utilia & suspecta, probata & imbecillia, magna & vana, salutaria & periculosa, contra febiles paroxysmos non solum a medicis, sed etiam ab omnis aliis generis hominibus laudantur & commendantur. Adhuc multi medici, in quibus nec opis quidquam est nec artis, nullum aliud remedium noscunt, nullumque aliud praescribunt, nisi corticem peruvianum, & promiscue illum omnibus febre intermitente laborantibus exhibent, & si hic spem eorum fallit, aliis remediis saluti subvenire nesciunt. Adhuc multi alii medici usum Corticis Peruviani instar vehementis veneni fugiunt, & semper subsequentes hydropses anxient. Adhuc circumforanei panacearum, & panchrestorum suorum laudem volubili lingua, & pleniore ore enarrant. Adhuc populus violentis remediis utitur, quae merito aversamur, & adhuc nefariae & protervae mulieres, convenientia & coniunctione naturae, quam sympathiam vocant, atque magicis artibus harum febrium sanationem tentant.

Omnis hae fraudes, scelera & ignorantiae nostro conamini excusationis loco inservire possunt, & in his erroribus, qui quotidiane occurrent, spem nostram collocamus, lectoribus non paene nostris speciminis argumentum ingratum fore, neque inutile.

Quos

**Q**uos primus ad arcendas febres intermittentes adhibuerat  
*Cl. Collin*, sagacissimus & accuratisimus virium medica-  
 mentorum apud Viennenses indagator, & quos dein multi  
 docti Viri varia fortuna, & diverso cum effectu in similibus mor-  
 bis propinarunt, *flores Arnicae*, his quoque nos frequenter ad  
 horum morborum vim debellandam usi sumus, & liceat nobis,  
 quae observavimus hic enarrare, nostrasque annotatiunculas cum  
 narrationibus & effatis aliorum Clariss. Virorum conferre. Nec  
 concipere sane, nec mente comprehendere possumus, quomodo  
 fuerint, qui omnes vites contra febres intermittentes huic effi-  
 caci plantae denegare potuerint, quem sapientia nobis tentata,  
 numquam omnem nostram fecellit spem de ea post lectionem *Col-  
 linii Observatorum* conceptam. Lubenter fatemur non raro eius  
 vires haud suffecisse ad paroxysmos febiles fistendos, & aegro-  
 tum perfecte liberandum, sed non una vice totam curationem ea  
 absolvimus, & haec planta omne tulit punctum; ac si quoque, illa  
 rite adhibita, adhuc insultus febiles perseverarunt, tamen efficac-  
 itatem suam abunde monstravit, & se ita praebuit, ut non infi-  
 rum illi inter remedia antifebrilia tribueres locum. In omnibus  
 febrium intermittentium speciebus simili fortuna, flores huius  
 plantae dedimus, & tum quotidianas, tum tertianas, nec non  
 quartanas feliciter & cito illis sanavimus, si symptomata febris,  
 decursus morbi, aetas & temperies aegroti usum huius remedii  
 resolventis & tonici, fragrantis & nervini concedebant, nam non  
 minus periculosum foret, flores arnicae praescribere aegroto iu-  
 veni sanguineo, plethorico in febre quotidiana, cuius paroxysmi  
 diu durant, & vehementissimi sunt, quae uno verbo in continu-  
 am febrem transire minatur, quam exhibere hoc remedium eo  
 tempore, quo adhuc impuritates biliosae vel saburra alterius ge-  
 neric in primis viis haeret. Sed omnia tacemus, quae de indi-  
 cantibus & contraindicantibus commemorari possent, sperantes,  
 haec fugitura esse neminem, qui hanc dissertationem attentione  
 sua & animadversione dignabitur.

Febres intermitentes admodum diversae sunt, & quum  
mox facile cessent, & debilioribus remediis cedant, tamen ite-  
rum ad rebelles & pertinaces morbos alio tempore referendas  
esse, nos omnes, qui in medendo occupati sumus, sine dubio  
reperimus. Non dico de illa notissima diversitate diurnitatis,  
quae cum alio typo coniuncta esse solet, & quam ob causam du-  
dum iam quartana relata est inter medicorum scandala. Nec il-  
lud volo discrimin, quod ex diverso anni tempore originem du-  
cit, & quare autumnales febres merito timentur, saepe nimis per  
totum hiemis tempus durantes, & aegros misere cruciatu  
confidentes. Mirum quoque esse nequit, si pertinaces sunt illae  
febres intermitentes, & omnem sanationem respuunt, quae ex  
causis gravioribus & vel difficiliter, vel omnino non removen-  
dis oriuntur, aut quibuscum gravissima, & vix sanabilia mala,  
e.g. insuperabiles obstrukciones viscerum imi ventris, vasorum  
biliferorum & organorum chylopoëticorum coniuncta sunt. Sae-  
pe autem observantur febres intermitentes, quas merito diu-  
turnis & desperatis morbis anumeres, & quibus difficiliter me-  
dicina repetitur, et si nullae harum caustarum, quae febres lon-  
ginquas reddere solent, apparent. Non negari potest, occul-  
tas hic, & pene abditas latere caussas, quas nullo studio & ope-  
ra indagare aut detegere queas, quamvis interdum anni tem-  
peries, tempestatum varietas, regionis salubritas, diaeta aegroti &  
multae aliae vicissitudines non parum conferant, ad morborum  
sanationem vel promovendam & sublevandam, vel differendam  
& removendam. Quemadmodum enim unus annus in univer-  
sum salubris est, alter omni iure grauissimus & pestilentissimus  
dicendus, quum in illo homines non uno morbi genere affligan-  
tur, morbique multos & quam plurimos incolas opprimant,  
e contrario in hoc nullae contagiosae lues grasentur, & perpau-  
ci saltē quodam valetudinis genere tententur; quumque in illo  
mortalitas admodum magna sit, & vice versa in hoc non plures  
consumi soleant; sic quoque in nonnullis annis febres intermit-  
tententes oram totam pervadunt, multosque infestant, & difficiliter  
supe-

7

uperantur. In talibus febribus tentandae & explorandae essent  
ires florum arnicae, si virtutem eorum antifebrilem iuste aesti-  
nare velis. Non sufficeret, hanc plantam amplioribus ornare  
audibus, aut illam remediis annumerare praestantibus & proba-  
bis, si forsitan ope illius unus vel alter a febre lenissima & beni-  
nissima, eo insuper tempore, quo febres in aliis aegrotis, vel  
ine omni salutaris medicaminis usu, a natura ipsa medicatrice,  
vel a quavis imbecilli medicina illis opposita, facile superantur;  
liberatus effet, atque in pristinam sanitatem restitutus. Sed si  
haec medicina nullo genere febrium intermittentium imbecillior  
est, si eo tempore illis medetur, quo plura alia praeclera, & ad-  
modum laudata ac commendata remedia ad aegrotorum sanatio-  
nem haud sufficient, quo febres, ut rebelles & pertinaces mor-  
bi specificorum sic dictorum vim elidunt; si, dico, flores arnicae  
tunc temporis plures sanant, & a perniciose morbo liberant,  
omnino si tales febres arcent, contra quas optima & efficacia alias  
febrisfuga incassum tentata & adhibita sunt; tunc vere nobis  
omnis dubitatio eximitur, tunc certe exquisitis & salutaribus re-  
mediis annumerandi erunt, & tunc meritas Cl. Collino refere-  
mus gratias, quia novum his morbis opposuit medicamentum,  
aque praeclarum & facile, quam vulgare & domesticum.

Tentavimus, ut ad nostra tandem redeamus observata, vi-  
res medicas florum Arnicae in talibus febribus intermittentibus  
pertinacibus iterum iterumque, & testimoniis sanctissimis com-  
munire possumus, semper se efficaces praestitisse. Exhibuimus  
aegrotis, qui nostram opem implorarunt, hoc remedium, eo  
anni tempore, sub ea aëris & cœli constitutione, & in talibus  
febrium intermittentium epidemiis, in quibus, cum a nobis ipsis,  
cum ab aliis doctis medicis notum illud antifebriile, *Cortex Peru-*  
*vianus*, frequenter absque ullo usu & emolumento propinaba-  
tur, & non paucos ope huius remedii solius ab ingrato hospite  
liberavimus. Tunc apparuit, non sfernendas huic plantae inesse  
vires ad superandas febriles accessiones, illamque cum cortice  
aemulari, atque non raro illi virtute antecellere. Religioni du-  
ceremus,

ceremus, a veritate hic defletere, & vel ex novitatis studio,  
 vel ex observantia erga Cl. *Collinum*, vel ex prava animi con-  
 tentione, vel ex alia quacunque causa impudenter mentiri, &  
 vires huius remedii falso extollere & amplificare; quum nos non  
 fugere queat, in turpissimis rebus habendum esse, observationes  
 practicas commentitias & factas commemorare, quia inde ma-  
 gnum periculum alii aegroti subeunt, quando illis talia inutilia &  
 fatua remedia, cum spe boni eventus, ob auctoritatem illius, qui  
 nimiis laudibus haec medicamenta prosecutus erat, exhibeantur,  
 sique tempus praetermittatur & perdatur, moxque libertas  
 concedatur, ut eo vehementius ingravescere possit. Lubenter  
 igitur fatemur, nos non omnes febres sanasse floribus Arnicae,  
 nec semper speratos praeslitisse effectus, sed saepius tamen vo-  
 tis nostris respondisse, quam nos sefelliisse intrepide & sancte  
 affirmare audemus. Rarissimi erant casus, & vix inter centum  
 aegrotos, qui flores Arnicae sumserunt, unum annotavimus,  
 qui post eorum usum nihil sensit, aut nullam mutationem morbi  
 expertus est, quamvis haec mutatio non semper tam exoptata  
 fuerit, ut aegrotus ad perfectam sanitatem redisset. Non paucis  
 ea contigit felicitas, ut ab usu huius remedii solius brevi tempore  
 restituti, & ab accessionibus febrilibus liberati sint, ac ut nullum  
 morbi vestigium remanferit, nec vis morbi post aliquod tempus  
 redierit. Sanitatem, & liberationem a morbo unice floribus Ar-  
 nicae acceptam retulerunt, Deoque gratias egerunt immortales,  
 qui tam frequenti & communi plantae tantas vires sit imperti-  
 tus. Felix iste eventus plerumque contingit, & tot homines  
 hac planta sanavimus, ut librum integrum confidere possemus,  
 si omnes historias curationum, ope ejus peractarum enarrare &  
 describere vellemus. Quum homines rusticani, & ex plebe na-  
 ti, ad quos non magnas opes transtulit fortuna, & qui saepe tam  
 egentes sunt, ut non habeant, unde eibum & potum emant, mul-  
 to minus, unde Pharmacopaeo solvant, frequenter nostrum au-  
 xilium quaerunt, & a nobis consilia medica petunt; idonea nobis  
 non defuit occasio, remedium hoc praescribendi, vires ejus ten-  
 tandi

tandi & periclitandi, ac multas observationes colligendi; nam talibus pauperibus & egentissimis hominibus, qui nec Corticem Peruvianum, nec alia antifebrilia, quae carissime constant, sibi comparare possunt, plerumque flores Arnicae exhibuimus, & in numerosis his aegris praeclaros illorum effectus non sine magna laetitia observavimus. Si vero quoque hoc remedium non totam febrem intermittentem depellere valer, quod non raro accidit, tamen accessiones ejus debilitare, impetum frangere, & paroxysmos debiliores & breviores reddere solet, ut igitur aegrotus omnino non parvam ex eius usu percipiat utilitatem. Hoc in primis in pertinacissimis & maxime rebellibus febribus quartanis observatur, quibus plurima remedia antifebrilia imbecilliora sunt, & quae non raro per totam hiemem durant. Contenti hic esse possumus, si aegrotus post usum florum Arnicae levamen quoddam sentit, & imminutio talis diuturni morbi indicio esse potest, egregias & praeclaras in hac vulgari herba latere vires. Annotavimus insuper, & adstipulati sunt nostrae sententiae, idemque observarunt nonnulli docti medici, quibuscum nostra observata per litteras communicaveramus, & qui eandem methodum fecuti, in vires florum Arnicae quoque inquisiverunt, eosque ad febrium intermittentium contumacium curationem adhibuerunt; annotavimus dico, febres tales, praegresso florum Arnicae usu, & debilitatis inde accessionibus, facile cessisse, quando nunc in fine Cortex Peruvianus exhibebatur. Quamdiu adhuc flores Arnicae aliquid efficere videbantur, & quamdiu febris sensim sub eorum usu decrescebat, continuavimus quoque eorum usum, nam curatio tunc adhuc recte procedebat; si vero morbus subsistebat, nec amplius imminuebatur, & vires deficere videbantur remedio ad sanitatem perfecte restituendam, tunc illud deseruimus, & ad Corticem Peruvianum refugimus, cuius ope brevi tempore e morbo recreabantur aegroti. Quum nunc eodem tempore, quo in aliis aegrotis incasum Cortice Peruviano ab initio Curationis utebamur, hac methodo plures sanare nobis

b

nobis

nobis contigerit, flores Arnicae multum ad sanationem contulisse conclusimus; ut vero appareret veritas, & ut omnis eriperetur dubitatio, dedimus Arnicam talibus aegrotis, qui sine ullo auxilio diu Corticem Peruvianum sumserant, & quum morbus igitur hoc remedio non sublevaretur, ac contigit quoque nobis, quod sancte affirmamus, mox totum morbum, cui frustra Cortex Peruvianus oppositus erat, solis his floribus depellere, & arcere, mox vero vim ejus imminuere, & accessionum vehementiam frangere; tuncque Cortex Peruvianus, qui olim nil effecerat, reliquias morbi fustulit, & amissam valetudinem restituit. Ex haec tenus fideliter enarratis sequitur non exigua vim febris fugam inesse floribus Arnicae, & merito omnibus laudibus dignos esse, quibus illos consecutus est Celeb. Collin.. Plurimas nimirum febres intermitentes sanant. Quotidianas & tertianas, leviores illas febrium intermittentium & facile cedentes species, si iusto tempore & dosi, & sub congrua indicatione propinrantur semper & ubique superare valent, nec unquam nobis accidit, has febres huic remedio restitisse, nisi morbi inversio, aut indicationis immutatio ab usu illorum prius desistere nos coegerit, quam virtutem suam exercere potuerint. Quartanas quoque plerumque fortiter aggrediuntur, & saepe, nisi admodum pertinaces & rebelles sunt, illas propellunt, aegrotumque restituunt; verum enim vero si quoque hunc exoptatissimum effectum producere nequeunt, tamen vim morbi non parum frangunt, & Corticis Peruviani actionem sublevant & adiuvant, ut hic dein longe facilius totum morbum superare possit. Denique si interdum morbo imbecillius est hoc medicamentum, & morbum, cui oppositum est, amovere nequit, sane hoc illi vitio vertere, aut hanc ob causam istud remedium contemnere, ac pro nihil putare, valde iniquum foret, nam in talibus magnis, diuturnis desperatisque febribus omnes, quascunque dederis, medicinas saepe frustra deglutiri, morbumque inde non levari, nedum tolli, communis & frequens docuit observatio, ut admirationem nobis

nobis movere non posse, flores Arnicae aliis praesentibus & exquisitis remedii antifebrilibus in eo similes esse, ut nonnullae febres eorum vim respuant. Attamen vidimus, interdum hoc remedium excellere Cortice Peruviano, de cuius virtutibus tam multa praedicantur, & illud febres sanare, quas decantata China non superare potuit.

Crediderunt initio quam plures, quum illis non contigerit, ab usu Arnicae eosdem egregios effectus intueri, quos laudaverat Cel. *Collin*, ac quum egregium virum, qui tam ingenue & candide observationes suas & experimenta ad explorandas medicamentorum vires instituta descripscerat & communicaverat, quique ad tot graves provocaverat testes, mendacii & fraudis arguere, in turpisimis rebus fuisse, Arnicam austriacam longe efficaciorem esse Arnica, quae in aliis regionibus floret. Quamvis autem illa moderatione utimur, ut fateamur, nos caussam explicare atque invenire non posse, cur nonnullis alias sagacibus ac circumspetis medicis non successerit, in Arnica herba virtutem magnam medicatricem detegere, atque hac sola longos periculosos & pertinaces morbos sanare; tamen intrepide affirmamus, & strenue defendimus, nostram Arnicam, quae in patria crescit, non minores vires, ac eandem remediale virtutem possidere, quam Arnicam austriacam. Quum quoque in nostris experimentis, & quidem eodem tempore, in similibus aegrotis tum Arnica austriaca tum indigena vsi sumus, licitum erit, de utriusque virtute & potentia sententiam pronunciare. Nihil enim aliud affirmamus, nisi quod ipsi exploratum habuimus. Ut ad liquidum veritatem exploraremus, iam ante aliquot annos non exiguum quantitatem Arnicae austriaceae, & quidem eiusdem, quam Viennae Celeb. *Collin* exhibet, nobis comparavimus, sive promiscue mox illam peregrinam mox nostram aegrotis in febribus intermittentibus propinavimus; nunc duos aegrotos, aetate, temperamento, conditione, natura, & ipso morbi genere non valde disimiles elegimus, & huic exoticam, illi autem patriam

b 2

plan-

plantam exhibuimus; nunc vero eidem aegroto primum nostram Arnicam praescripsimus, & dein Austriacam dedimus; nunc tandem cum peregrina curationem inchoavimus, ac postea medicinam mutantes, cum domestica Arnica illam absolvimus. Sic virtutis huius plantae periculum sedulo ac iterum iterumque fecimus, nostraque experimenta non solum saepius iteravimus, sed quoque illa frequenter, & diversis modis variavimus, ne amplius dubium esse posset. Quum ergo ex veritate aestimaverimus, plantae peregrinae & indigenae vires, atque illarum inter se comparationem fecerimus, lectoribus fidem facere possumus, nos semper observasse easdem virtutes, similem efficacitatem, aequalem vim, eosdem effectus, nec huic nec illi primas esse deferendas.

Efficaces atque potentes reperit Cel. *Collini* flores Arnicae, in primis in illa febrium intermittentium epidemia, ubi magna ex parte & plerumque in febres putridas, maxime post datum Corticem valde malignas, saepe manifesto visceris alicuius infarctu mutabantur. In illa putrida constitutione epidemica felices successus huius medicamenti observavit. Tales febres intermitentes nunc raro apud nos sporadicce occurunt, epidemice fere numquam, nam in nostris regionibus in universum morbi putridi non tam frequentes sunt, quam sub calidiori Viennensi coelo, ubi quotannis grassantur, multosque e numero viventium exturbant. Alii morbi etiam apud nos non tam facile in putridos morbos transfeunt, licet genius putridae epidemiae interdum in aliis morbis praesto sit. Sic in patria nostra observationes Cel. *Collini* non repeteremus & examinare potuimus, quum autem inter omnes constet, Arnicae plantae, haud spernendam inesse virtutem antiputredinosam, nullum dubium haberemus, quin illam in tali febrium intermittentium peculiari specie adhibeamus, & in huius plantae viribus omnem spem ponamus, quae in aliis huius morbi speciebus & varietatibus tam exoptatos monstravit effectus. Attamen ut verum fateamur, non facile ad hoc antifebrile remedium prius refugeremus, antequam primae viae purgatae, fordesque

que circa praecordia & in intestinis haerentes solutae, & vomitione aut purgantibus eliminatae sint, nec Cel. *Collinum* imitamur, qui interdum principium curationis in hoc remedio posuit, & dein in fine tandem vomitoria & purgantia exhibuit. Nos quidem non fugere potest, morbos putridos evacuantia larga manu propinata non ita facile ferre, & omni cautione & circumspedione medici opus esse, ne sub usu huius generis remediorum vires nimium debilitentur & exhaustantur, saepeque morbum requirere, ut statim ab initio antiseptica praescribantur, quia indicatio vitalis primas partes obtinet. Verum enim vero hae graves annotationes practicae nos non impedirent, quominus semper initium faceremus cum remediis evacuantibus & solventibus, & dein, si illi indicationi satisfecisset, tandem flores Arnicae in usum vocaremus. Forsitan interdum necessarium duceremus, si tales morbi, quales descripsit Cel. *Collin* nobis obvenirent, & nostram operam requirent, statim cum usu evacuantium remediorum quoque illum remediorum antisepticorum coniungere, utraque medicamenta combinare, sed numquam evacuantia & primas vias purgantia remedia omitteremus, aut curationem a tergo quasi inciperemus. Evidem non dubitamus beat. *Swientenium* veritatem dixisse, si caussam ad febres intermittentes praedisponentem in fluido nerveo, vel in nervis ipsis, vel omnino in encephalo haerere, afferit; nec negamus nervos in his morbis praecipuas partes agere, ut quoque typorum varietatem nervorum imperio adscribamus, & multa symptomata, quibus febres istae stipantur, pro nervosis habeamus, ac diuturnitatem illarum interdum ad hos funiculos unice referamus; nihilominus autem quoque caussam materialem in quavis intermittente assumimus, & hanc in primis viis semper haerere persuasum habemus, ideoque suademus in plurimis intermittentibus curationem a remediis evacuantibus inchoare, in nulla vero illorum usum omnino negligere, nam periculosum esse existimamus & perversum, caussam morbi materialem intaglam & insolutam derelinquere, quae

b 3

paulo

paulo post, sedato quoque paullisper & ad aliquod tempus, morbo, illum iterum revocabit, & non raro nequitiam eius augebit. Hanc ob causam semper evacuationes apud nos usum febrifugorum, & sic quoque florum Arnicae praecedere solent. Faciliores tamen nos praeberemus in talibus casibus, si de floribus Arnicae ut febrifugo, quam si de Cortice Peruviano sermo esset, quum Cortici vis quaedam adstringens insit, quam in floribus Arnicae non reperimus, & quae vis nos ab usu huius remedii specifici antifebrilis merito detergere debet, quamdiu adhuc impuritates in primis viis apparent. Flores Arnicae non solum ut roborans & nervinum remedium, e tonica nimirum classe, agunt, sed quoque potentissimis resolventibus annumerari debent, & virtus eorum resolvens maior aliis esse videtur, quare etiam haec primum innouuit, quum iam diu flores Arnicae apud plebem & apud rusticanos ad resolvendas stases sanguineas post lapsum ortas, ut domesticum remedium in usu fuerunt. Ad resolvendas igitur viscerum obstruktiones, in febribus intermittentibus non raro praesentes, optime conducunt flores Arnicae, & hic, ubi Cortex Peruvianus veneni instar foret, optima cum spe egregii effectus aegrotis praescribi potest planta, cuius laudem haec tenus exposuimus. Cortex Peruvianus hic obstruktiones augeret, flores Arnicae illas solvunt, visceraque ab infarctibus liberant, illud remedium statum aegroti oedematosum redderet peiorem & curatu difficiliorum, hoc vasa aperit, excretionem cutaneam promovet, & cacheoticos humores tum emendat, tum expellit; morbus sub usu illius ingravescit, sub huius minuitur. Pleni sunt Cel. Collini libri exemplorum, plena sunt similiter nostra collectanea annotationum, e quibus manifeste hoc discrimen virtutum & operationum utriusque medicamenti appetit, & sane hoc scriptum minutum magnam generi humano afferret utilitatem, si imprestiti, in primis Empirici, qui nulla habita morbi & conditionis aegrotorum ratione, inscitia rerum se omnem absolvisse paginam sperant, quando aegroto larga manu sacram febricitantium anchoram,

chorām, Corticem dico Peruvianum offerunt, haec legant, & inde invitentur ad agnoscendos & corrigendos hactenus commissos nefandos errores.

Omnem curationem febrium intermittentium semper & ubique vero haudquaquam peragi posse nostro remedio, ex dein enarrandis & exponendis apparebit; nos hoc solummodo annotavimus, ne lectorum quidam sibi singat, nos pleniore ore dictos flores laudare, illisque praecōnium deferre.

Addere adhuc debemus, in primis praesentes nobis fuisse flores Arnicae in illis intermittentibus febribus, in quibus dolores artuum, dorsi, lumborum, ut symptomata admodum molesta aegrum vexant, facile enim tales dolores superare valent, sudorem enim antea vel non praesentem, vel admodum debilem, finito paroxysmo largum exitant, siveque nervos sensiles a materia irritante acri liberant. Non extimescimus quoque alia symptomata nervosa, ne convulsiones quidem, nec ideo ab usu Arnicae abstinemus, nam bene ferunt tales aegroti hoc remedium, & potius ab illo refocillantur. Si vero nimia plethora adest, flores Arnicae non exhibemus, nec in illis affectionibus nervorum illos suademus, quae a presso & irritato encephalo, per sanguinis affluentis copiam, originem ducunt.

Supereft denique, ut adhuc pauca addamus, quae ad formam medicamenti huius spectant. Saepius reperimus, multos medicos magnopere timere tumultus in corpore a floribus Arnicae excitatos, ideoque a propinazione eorum abhorrente. Persuasum habent, spasmos vehementes circa praecordia, dolores ventriculi, diras anxietates, vomitum omnino & convulsiones, deliquaque animi inde excitari, quae omnia medicum in nosocomio medicinam exercenter non detergere possent, quae vero facile de fama medici publici aliquid detraherent, quia suspicio in eo consisteret, eum aegrotos suos medicaminibus curare violentis. Sed falsus & inanis est metus, quum in tot experimentis, & in sexcentis aegrotis, quibus varia forma praescriptissimus flores Arnicae,

cae, neminem reperimus, in quo tam vehementia orta sint symptoma, quae usum eorum continuare interdixissent. Non infestas eo, quandam anxietatis sensum interdum aegrotos experiri, quando usum huius remedii inchoant, qualem sensationem sentire solemus, si vomititionibus laboramus, sed quamplures, omnino delicatores & sensiliores, nullam molestam & odiosam adfectionem ex illo percipiunt, motusque inde orti sponte iterum sedantur, & ingrati sensus leniuntur. Rarisimum quoque est, tales anxietates diu remanere, & ultra tertiam dosin perdurare, potius sensim minuantur, & dein aeger magnas, omnino ingentes doses florum devorare potest, sine ulla doloris aut ingratitudinis perceptione. Cur vero huic vel illi molestiam creent, difficile est explicatu, nisi ad incomprehensibilem nervorum naturam & sensitatem, & ad idiosyncrasiam refugere velis. Potissimum autem infusum theiforme florum Arnicae, calide haustum, nostram secundum observationem tales sensations producere solet, & hinc melius edocti dein penitus ab illo abstinuimus. Optimam vero omnium formam reperimus dare flores Arnicae in pulvere. Non solum enim fere numquam illas passiones post eius assumptionem nostri aegroti perpesi sunt, sed quoque hac forma plures hoc medicamentum monstrat vires, & certissime morbum propellit. Deditus vel omni trihorio huius pulveris subtilissime praeparati dimidiam drachmam, vel omni bihorio cochlear minutum. Non nullis hoc remedium admodum ingratum & invisum esse, ideoque displicere, non negare cupimus, sed non semper ad gustum aegroti respiciendum est, in primis quum interdum admodum difficiles & morosi sint, & ob effeminatam molitatem omnia efficaciora, hinc non insipida medicamina respuant, quia satis dementer a medico non solum liberationem a morbo & restitutionem desiderant, sed quoque palati titillationem optant. Interea certe non ideo ingratum est remedium, ut nauseam cieat, & Eleetuarii formam non pauci longe iniucundiorem inveniunt. Insuper quoque saporem huius medicamenti gratiorem facere possumus, si

Cinna-

Cinnamomi nonnihil, aut Saccharum, aut Eleosaccharum quodvis addimus, quae omnia virtuti eius & efficacitati non obstant, attamen efficiunt, ut delicatuli facilius ferant, & libentius sumant. Iterum non raro secundum indicationum varietatem alia remedia dicto pulveri addimus, quibus vel eius virtutem augere, vel aegrotorum conditioni magis applicare studuimus. Sic eius usum cum usu Corticis Peruviani coniungimus, quando imbecillitas aegroti magis robورans remedium nobis requirere videbatur; sic interdum salina remedia simul in usum vocavimus, in primis terram foliatam tartari & tartarum solabilem, quando de puritate primarum viarum nobis adhuc dubium fuit; sic quoque sal ammoniacum illis floribus admisceri iussimus, quando in diarrhoeam proclivitas aliorum salium adhibitionem non permisit; sic porro nitrum, quando vehemens febris temperans desideravit; sic tandem aromata levia, ut Corticem Winteranum, Cassiam &c. addimus, quando ventriculi debilitas timorem nobis iniecit, aegrotos pulverem non bene ferre posse; sic denique limaturam Martis adiecimns, quando per aliquod tempus continuato huius remedii usu nil effecimus.

Alio tempore quoque Decoctum horum florum praescripsimus, & lector rerum, de quibus agimus, gnarus facile credet, nos quoque hic pro morborum & aegrotorum varietate, varia addidisse, attamen ingenue fatemur, Decoctum illud saepius spon nostram fecellisse, quam ob rem nos propinicationem florum Arnicae in substantia, ut aiunt, in primis commendamus.

**H**erba Absynthium certe ad plantas vulgares & quotidianas, & ad remedia admodum ingrata, pluribusque odiosa referenda est, nam crescit ista planta in quovis inculto & derelicto solo, & sapor huius herbae, ac odor specificam habent qualitatem, cum nullo alio comparandam, & tam intensam & permanentem amaritudinem, ut iam proverbii locum obtineat. Nihilominus haec vulgaris & iniucunda planta praecipuis adnumeranda est medicaminibus, ac non infimum inter remedia antifebrilia

c

tenet

tenet locum. Potentissimum esse resolvens, observationes probant *Linnaei*, qui eius solius ope nonnullos calculos sanavit, & *Schwencke*, qui assertit, infusionem huius herbae sanguini, iam e vena misso, admixtam, eum dissolvere, eiusque ruborem gratum reddere. Insuper calefacit & roborat, ut plures sanationes eius ope peractas, in Annalibus Medicorum enarratas reperi possis. In nostris regionibus ut domesticum remedium hanc herbam vulgus adhibet, quod febribus intermittentibus initio veris opponunt, & quod tam egregios praestat effectus, ut saepius virtutem huius simplicis medicamenti admiratis simus, & dein aliis aegrotis suaserimus, praecipue talibus, qui saporem gratum non sedulo exceptant, & ut liberentur a morbo, lubenter quaevis devorant sive amara sive dulcia, sive taediosa sint, sive inquinata, si modo vilissime constant, & facile impetrari possunt. Sumunt nempe summitates recentis & iunioris herbae, statim quando virescere incipit, in minuta frusta secant, & superimponunt pani butyro illito, ut perfecte & valide illis tegatur, talemque portionem mane & vespere comedunt, & quotidie per quattuordecim dies & ultra repetunt, inter quod tempus febris plerumque superatur & sanatur. Medicinam hanc praecipue quaerunt illi, qui per totum hiemis tempus febribus quartanis impliciti fuerunt, & hi mirum illa refocillantur, hincque hanc panaceam primo vere avide expectant. Mirationem cuivis facere debet, qui hominem emaciatum, gracilem, coloris flavi tristis, habitus oedematosi leucophlegmatici, brevi tempore restitutum, & quasi regenitum, ruborem faciei iterum efflorescentem, vires receptas, recuperatumque vigorem, ope huius salutaris herbae, intuetur, & adhuc magis ad mirationem movebit, hanc singularem & alias infuetam assumptionem hoc potuisse. In primis in talibus febribus virtutem suam monstrat, in quibus tumor corporis aquosus praefto est, obstructiones viscerum observantur, & hydropici quidquam apparet, tunc nullum remedium magis & certius & citius iuvat, quam recens *Absynthii* herba. Recentem vero solum laudamus, quia non ignotum est, siccatione plures huius herbae vires, ut & odo-

rem

rem perire, & forsitan quia recens nata herba longe maiorem adhuc virtutem haber, initio veris tam magnos & vix exspectandos monstrat effectus. Ceterum iam dia laudata est haec planta in obstructionibus viscerum & variis generis hydroperibus, nec non succus eius recenter expressus in *Commerc. Noric.* 1734. p. 229 cum vino exhibitus, ad febres intermittentes commendatur; ut igitur omnino lectors fidem nobis habere potuerint, si efficacitatem huius remedii in similibus morbis nostris observationibus comprobare studemus, & ut plures nos imitatueros, hocque medicamentum, ut domesticum & vulgare, illa forma, qua potens & praesentaneum reperimus, tempore vernali, aegrotis praecipue gentibus suaueros esse, in speratis habeamus.

**S**ingularem observavimus ante aliquot annos febrium intermittentium epidemiam, quae merito omni attentione digna est, & cuius descriptionem hic breviter quidem, attamen ut praecipuae eius proprietates distincte & perspicue appareant, communicare volumus. Per totum nimurum autumni, hiemis & veris tempus, id est, a fine mensis Septembris usque ad finem mensis Maii grassabantur frequenter febres, tum tertianae, tum quartanae, quarum accessiones per validae & longae erant, ita, ut per 14 horas & ultra perdurarent. Calor longe superabat gradu & vehementia frigus, sed solitus in fine paroxysmi sudor, qui alias tertium & ultimum accessionis stadium est in febribus intermittentibus, & cuius ope morbi vis non parum frangitur, non apparerbat, potius calor urens sensim decrescebat & defervescebat, & somnus finem paroxysmo faciebat. Magna debilitas & imbecillitas non solum morbi die, sed etiam tempore intercalari, & diebus liberis aegrotum cruciabant, eumque lectulo affixum tenebant. Urina haud largiter mittebatur, sed sedimentum lateritium habebat illa, quae in fine paroxysmi reddebatur. Anxietates non raro praesto erant. Appetitus prostratus, lingua in nonnullis pura, in aliis sordibus plena, alvis sat bona, hypochondria & regio epigastrica non quidem tensa & inflata erant, sed dolebant tamen, si

comprimebantur. Temperies anni humida fuerat, & per totam aestatem pluviosorum & nubilosorum dierum numerus longe superaverat illum dierum siccorum & serenorum.

Hae febres igitur sibi permisae, sine medicamentorum usu sensim transibant in hydroper, in primis in illam speciem, quam Anasarcam vocant, & nihilominus perdurabant. Propriae vero & singulari naturae harum febrium adscribendum est, quod illae nullum remedium tonicum & roborans, multo minus adstringens. ferrent, sed subito & omnino post nonnullas illorum doses aegroti tumescere inciperent, & quod aqua infra cutem quotidie magis, continuato usu, colligeretur. Quamvis a proposito non declinare velimus, has paginas nullis ratiocinationibus, theoreti- cisque explicationibus implendi, merasque sollempmodo practicas observationes enarrandi, attamen licitum erit annotare, defectum sudoris in fine accessionis ad peculiarem harum febrium naturam, & ad proclivitatem in oedematosos tumores plurimum sine du- bio contulisse. Sic quoque tunc argumentati sumus, & hanc ob caussam nonnullis aegris sub calore exhibuimus pro potu frequen- ti infusum theiforme florum Sambuci, sed nihil illo profecimus, calorisque potius augmentum, & diurniorem perdurationem produximus, hincque iterum ab illo desistere coacti sumus. Antequam nobis ista febrium natura cognita fuerit atque perspecta, praemisis evauantibus pro indicatione mox vomitorii mox purgantibus, nunc hoc, nunc illud remedium antifebrile tonicum & roborans exhibuimus. Corticem nimirum Peruvianum, Cascarillae, Flores Arnicae, rad. Caryophyllatam, pluraque illorum coniungimus, & alia addimus, semper autem eundem tristem experti sumus effectum, semper subito iterum ut illam methodum deseramus necesse fuit, nam periculum supervenientis hydropis hic pertinacem se & constantem praebeere impeditiebat. Speravimus dein continuato usu solventium remediorum & evauantium has superari febres, sed quoque his morbus resistebat, & incassum tentavimus Tartarum solubilem, & terram foliatam Tartari, & sal mirabile Glauberi. Purgantia autem & evauantia paullum fortiora

ora ob debilitatem & virium defecum non adhibere potuimus. Sal Ammoniacum non minus frequenter aegrotis talibus febribus laborantibus dedimus, nam quoque in hoc non exiguum spem collocavimus, sed quoque hoc medicamen nullam plane exercuit virtutem, morbumque intactum reliquit, licet hydropicum statum non produxerit. Sane multos aegrotos iste morbus consumit, nam pauci saltem evaserunt, morbumque superarunt, si nullam medicam opem efflagitarunt, & alii ob perversam curationis methodum a medicis adhibitam naturae debitum reddiderunt. Imperiti enim medici, qui genium morbi non dignoscebant, nec aliam medendi methodum sciebant, nisi vulgarem illam per tonica, in primis per Corticem Peruvianum, atque igitur in adhibendis talibus remediis semper perseverabant, licet natura morbi longe aliud curationis genus requereret, multos morti tradiderunt. Plures vero alii medici in nostris terris medicinam exercentes, statim perceperunt, has febres non vulgari methodo adoriendas & tractandas esse, & naturam huius morbi coniecerunt, illique medicinam repererunt. Utebamur igitur tum nos tum alii medici in hac febre diureticis & solventibus decoctis, quorum aegrotis non parvam dosin commendavimus, in primis quoque cineres diureticarum plantarum, e quibus lixivium parari iussumus, illis large propinavimus. Insuper autem Sal Absynthii, secundum mentem Boerhave, in hac febre dedimus, omniaque reliqua salia & remedia roborantia reiecimus, & in fine demum morbi, febre iam mitigata, vel cessante, decocta roborantia cum solventibus vel coniunximus, vel his roborantibus tonicis medicaminibus Sal Absynthii non parca dosi addimus. Hac enim miscella omnis tumor corporis oedematosus praevertebatur, & sensim ad pristinam aegroti redibant sanitatem, & quidem eo securius curabantur, quo lentius sanatio procedebat, nam haec medicina venis concipiebatur, & seruos acres superfluos humores per urinam expellebat, siveque nascenti hydropi obstabat, totumque corpus ab obstructionibus liberabat. Adeo distans est febrium natura & tam diversa requirunt remedia, attamen quivis Empiricus, &

medicae artis paene ignarus, periculosa sane temeritate curationem huius morbi, ut facilissimi aggreditur, quam impiam consuetudinem non satis reprehendere possumus, quoniam in aprico sit, & quoque ex hac breviter delineata historia morbi appareat, hunc morbum interdum pro singulari sua qualitate, & pro specificis & rarioribus caussis singularia quoque postulate medicamenta, & inconsuetam desiderare curationis methodum.

**V**eritatem effati *Senecae*: crebram remediorum mutationem sanitatem impedire, qui in dubium vocet, arbitramur quidem fore neminem; sed si varietas & inconstans medici, crebraque remediorum commutatio, priusquam adhuc se per venas diffundant, & salubritas corpore percipi queat, merito vituperationem subit; non minus in reprehensionem incurrit illa medicorum consuetudo, quando pertinaciter usui huius vel illius remedii inhaerent, & perseverant constanter eandem medicinam morbo semper opponere, si quoque nullam monstret virtutem, nec sanitatem valeat restituere. Facultas nobis ut fiat, rogamus, haec tenus dicta ad famosissimum illud remedium antifebrile, Corticem Peruvianum nempe, referendi, in quem medici adeo saepe ornem collocant spem, ut ingentes huius doses deglutiendas exhibeant, & in eius usu persistant, si quoque nullam mutationem morbi, & nullam ab eo liberationem, obseruent. Nihil sane stultius excogitari potest, quum nemo aequus rerum arbiter, nullus indefessus & diligens observator, infitias ire possit, Corticem Peruvianum, quem nos quoque ad praecipua medicamina referimus, & cuius laudibus nil obtrectare cupimus, tamen interdum incassum adhiberi, hasque febres nonnunquam nec superare, nec infirmiores reddere posse. Nonne igitur illum medicum culpare debemus, qui omnem spem in Corticem Peruvianum solum collocat, & nullum aliud remedium adhibet, si quoque hoc spem fallit, & morbum insanatum & immitatum relinquit, atque usui eius pertinaciter inhaeret, simulque alia medicamina negligit, quae vicem Corticis explere, febrem.

febremque superare valent? Quando ergo per aliquod tempus Cortex Peruvianus frustra adhibitus fuit, methodus est immutanda, & loco Corticis dicti aliud antifebrile remedium quae-  
rendum est, nam si aegrotus Uncias duas specifici illius antifebrili-  
lis iussa dosi, & continuo usū consumsit, & ab hac copia nullam  
febris immutationem expertus est, tunc certe quoque duas li-  
bras, & ultra sine ullo emolumento devorabit, & medicus ille  
non bene saluti aegrorum consulit, qui tunc usum eius adhuc  
continuari iubet.

Non minus attentione digna est observatio, usum Chin-  
chinae spectans, quam iam *Werlhofso* acceptam referimus, &  
quam olim medici strenue fecuti sunt, quam vero recentiorum  
medicorum quamplures negligere solent; tutissime nimirum &  
certissime reveriones praecaveri repetito cortice secunda vel  
tertia quavis hebdomade. Ne iam saepius dicta iterum repe-  
mus a *Werlhofso* commendatam methodum Corticem exhibendi,  
ordinemque repetitionum huius remedii, & intercedendum re-  
linquendarum secundum eum observandum, non iterum expo-  
nere cupimus, solummodo veniam petimus, ut nobis liceat me-  
dicos ad Celeberrimi olim & magni *Werlhofii* imitationem exci-  
tare, & cohortari, nam persuasum habemus, saepiusque experti  
sumus, consilia eius esse gravia & salubria, credimusque in san-  
tatione febrium intermittentium ope Corticis Peruviani longe fel-  
liciores futuros esse medicos, quando illam methodum severe &  
accurate observaverint. Difficile est quidem in abditam rerum  
naturam inquirere, credimus tamen, medicinam illam, quae  
periodicis inspiimis & specificie medetur morbis periodicam quo-  
que requirere adhibitionem. Non enim negari potest, virtu-  
tem quam monstrat Cortex Peruvianus iterum imminui & eva-  
nescere, quando longo & diu continuato, ac non interrupto usū  
adhibetur, e contrario vim eius augeri & maiorem efficacitatem  
illum monstrare, quando certis periodis & per intervalla solum-  
modo temporis datur.

Egregie conductit in febribus intermittentibus diuturnis  
&

& desperatis; debilitato iam aegroto, addere cuivis dosi Corticis Peruviani grana duo limatura Martis, praecipue vero hoc additamentum indicatum est, quando post usum Corticis vis morbi quidem frangitur, febrisque imminuitur, sed pars eius adhuc remanet, ita, ut tempore paroxysmi solito semper nonnihil motuum febrilium percipiatur, aegerque ad perfectam sanitatem redire nequeat. Tunc hoc residuum febris certissime propellitur, debilitatiq[ue] eius obviā itur, si limatura Martis usus cum Chinchiae coniungitur.

Antimonium, & praeparata ex isto Semimetallo, frequenter ad febres intermittentes laudata esse reperimus, imo Cortice Peruviano longe antecellere, febresque desperatas sanare, quibus hic longe imbecillior est, legimus. Hanc virtutem eius nunc quidem non compertam habemus, sed aliud est febrium intermittentium genus, in quo Antimonio nullum certius, nullumque magis praesentaneum remedium, dari potest. Occurrunt nempe non raro febres intermittentes, quae quotidie revertuntur, & quarum accessiones nullo fere frigore stipatae sunt. Aegri tensionis saltem sensum percipiunt. Calor quoque est modicus, sed manus ardent, & in genis apparet rubor circumscriptus. Sudor Paroxysmo finem faciens non statim supervenit, sed noctu tandem accedit, & diu continuat. Has febres hec tics admodum similes esse, & nisi sedulo, caute, omniq[ue] cum cura, sollertia & dexteritate tractentur, facile in hec ticas transire, inter omnes constare speramus. His nunc febribus optima medicina ex Antimonio paratur, nam Cortex solus non facile illas superat, saepe potius morbum auget. Praemisis secundum indicationem evacuantibus exhibuimus Corticem, & cuivis eius drachmae dimidia admisceri iussimus Antimonii erudi bene pulverisati Grana quatuor usque ad sex, ut quotidie quinque ad sex tales doses aeger devoraret. Hanc methodum tam utilem, & tam praecipuam invenimus, ut verba ad satis eam extollendam, nobis deficerent, si quoque huius inaugralis scripti limites nobis ubiores esse concederent.











Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[https://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn185432215X/phys\\_0032](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185432215X/phys_0032)

DFG

& virium defecatum non adhibere potuimus.  
on minus frequenter aegrotis talibus febribus  
is, nam quoque in hoc non exiguum spem  
uoque hoc medicamen nullam plane exercuit  
que intactum reliquit, licet hydropticum sta-  
t. Sane multos aegrotos iste morbus consum-  
evaserunt, morbumque superarunt, si nullam  
agitarent, & alii ob perversam curationis me-  
adhibitam naturae debitum reddiderunt. Im-  
qui genium morbi non dignoscebant, nec ali-  
dum sciebant, nisi vulgarem illam per tonica-  
cem Peruvianum, atque igitur in adhibendis  
oper perseverabant, licet natura morbi longe  
us requireret, multos morti tradiderunt. Plu-  
in nostris terris medicinam exercentes, statim  
ebres non vulgari methodo adoriendas & tra-  
curam huius m. bi coniecerunt, illique medi-

Utebamur igitur tum nos tum alii medici in  
& solventibus decoctis, quorum aegrotis non  
mendavimus, in primis quoque cineres diure-  
, e quibus lixivium parari iussumus, illis large  
uper autem Sal Absynthii, secundum mentem  
bre dedimus, omniaque reliqua salia & reme-  
cimus, & in fine demum morbi, febre iam mi-  
decocta roborantia cum solventibus vel con-  
roborantibus tonicis medicaminibus Sal Ab-  
dosi addimus. Hac enim miscella omnis tu-  
matosus praevertebatur, & sensim ad pri-  
nit sanitatem, & quidem eo securius curaban-  
natio procedebat, nam haec medicina venis  
seros acres superfluos humores per urinam  
nascenti hydropi obstabat, totumque corpus  
liberabat. Adeo distans est febrium natura  
uirunt remedia, attamen quivis Empiricus, &  
medi-

b 3




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. \_\_\_\_\_